



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Cursus Theologico-Moralis**

Ad usum Tyronum elucubratus, Et in Quotidianis Prælectionibus

Quoad ea, quæ Moralis Theologia disputat de Legibus, de Præceptis  
Decalogi, de Restitutione, ac de Contractibus

**Viva, Domenico**

**Patavii, 1723**

Quæstio II. Quænam sit materia legis, & Quinam possit leges ferre?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40673**

expirat. Quamvis autem Episcopus, ut infra dicemus, possit leges ferre, non solet tamen eas ferre extra Synodum, & Archiepiscopus non potest leges ferre pro tota Provincia, nisi de consilio, & voluntate omnium Episcoporum Comprovincialium.

VI. Ex dictis sequitur, quod possit Papa legem ferre, qua præcipiat, ut præcepta Inferiorum, scilicet Episcoporum, vel Prælatorum regularium non expirent morte præcipientis; in quo casu mortuo præcipiente quilibet teneretur servare præ-

cepta, non vi ipsorum præceptorum, sed vi legis universalis: Sicut si feratur lex, quod quilibet teneatur obedire suo Magistro, vel Confessario, in tali casu præcipiente Magistro, vel Confessario, quilibet teneretur obedire, non vi talis præcepti, quod cum non esset a Superiore, non obligaret; sed vi legis universalis, quæ obligat ad obediendum præceptis magistri, vel Confessarii, quamvis non habentis ullam jurisdictionem extra Sacramentum Pœnitentiæ.

## Q U Æ S T I O II.

Quænam sit legis materia, & Quinam possit leges ferre?

**P**rogedimur ad discutiendas causas Legis, & Primo inquirendum, quænam universim sit legis materia; & præsertim Num possint lege humana præcipi actus indifferentes, aut actus mere interni? Deinde quærendum, Quinam possit leges civiles condere? Ac demum, quinam leges Ecclesiasticas?

### ARTICULUS I.

De Materia Legis. Præsertim de Actibus indifferentibus, ac de mere internis.

- I. Universim materia legis sunt actiones humana ordinabiles ad bonum commune.
- II. Lex humana præcipere potest actus virtutum, sed non omnes, nimirum valde arduos; ac prohibere potest actus vitiorum, non tamen omnes, cum id non postulet commune bonum.
- III. Cur lex naturalis omnia vitia prohibere possit, & de facto prohibeat, non vero lex humana?
- IV. Quandonam possint actiones moraliter indifferentes præcipi, aut pro-

hiberi?

- V. Lex civilis respicere debet rectam gubernationem, & bonum pacis in populo: Lex vero canonica respicit honestatem operationum, ut conducentem ad finem supernaturalem, & ad bonum animarum.
- VI. Quædam vitia, ut Usura, Perjuria, Blasphemia cur prohibeantur lege civili simul, & canonica, necnon lege naturali?
- VII. Num leges civiles, & canonica imperare aliquando possint actus mere internos?
- VIII. Solum actus interni, qui sunt necessarii ad externos, possunt a lege humana indirecte præcipi, aut prohiberi.
- IX. Ecclesia præcipiendo auditionem missæ indirecte præcipit intentionem audiendi illam; Non tamen punit

gen-

*cenfuris defectum talis actus interni.*

X. *Fit satis argumentis pro fententia oppofita.*

XI. *Cur poffit Ecclefia difpensare in votis mere internis, & a peccatis internis abfolvere; non poffit tamen cenfuris peccata interna punire?*

XII. *Poteft confeffarius actus mere internos pœnitenti injungere; Non poteft tamen illos injungere fubditis Prælati Regularis.*

XIII. *Quod eft per accidens occultum puniri poteft ab Ecclefia, non vero quod eft occultum per fe.*

I. **M**Ateria legis, feu id, circa quod lex verfatur, & quod poteft lex præcipere, aut vetare, univèrfim funt actiones humanæ; quælibet enim lex vel præcipit actionem humanam bonam, vel prohibet malam. Et ratio a priori eft, quia cum lex debeat aliquid præcipere fpectans ad bonum commune, illud dicitur materia legis, quod cadit fub Principis poteftatem ordinabile ad bonum commune; fed quod cadit fub poteftatem Principis, feu fuperioris ordinabile ad bonum commune funt actiones humanæ fubditorum; quæ, fi conducant ad bonum commune, præcipiuntur, feu prohibeantur; ergo iftæ vere dicuntur materia legis.

II. Hinc fequitur, actus quarumcumque virtutum poffe effe materiam legum humanarum: Etenim quodcumque referri poteft ad bonum commune, poteft effe materia iftarum legum; fed actus quarumcumque virtutum poffunt referri ad bonum commune; ergo poffunt effe materia legum, præfertim humanarum: Quamvis non poffint lege humana præcipi nec omnes actus omnium virtutum collectivè, nec omnes actus fingularum virtutum: Verbi gratia, non poteft præcipi a legibus humanis abftinentia a matrimo-

*Pars I.*

nio, ingreffus in Religionem, frequens jejunium in pane, & aqua, magna eleemofynæ largitio de neceffariis ad confervationem ftatus, & fimilia; quia lex humana non poteft præcipere res difficillimas, quæ proinde funt moraliter impoffibiles, eo quod non poffulet id bonum commune; atqui tam actus omnium virtutum collectivè, quam actus præftantiffimi aliquarum virtutum, ut ingreffus in Religionem, funt actiones difficillimæ: ergo a lege humana præcipi non poffunt, ut oftendit Sal. difp. 9. §. 3. dub. 3., Qui pariter putat cum Suar. lib. 4. cap. II. contra Bonac., nec poffe prohiberi lege humana, & præfertim fub pœnis gravibus omnia omnino vitia; tum quia aliqua peccata funt modica, & non multum perturbantia Rempublicam, ut mendacia jocofa, aut officiofa, verba fcurrilia, &c. quæ velle punire effet moraliter impoffibile; tum etiam quia aliqua peccata gravia permitti in Republica debent ad vitanda majora, ut meretrices, deceptiones in emptione, & venditione infra dimidium pretii jufti, &c. quæ per folam divinam providentiam puniri debent.

III. Neque obftat, quod lege naturali omnia omnino vitia prohibeantur; ergo prohiberi etiam poffunt lege humana. Nam difparitas eft, tum quia lex naturalis refpicit bonum fingularum, & ideo omnia vitia prohibet; lex vero humana refpicit bonum Communitatis, ad quod non confert omnia prohibere; tum pariter, quia lex naturalis, (quod maxime advertendum) cum fit a Deo naturæ conditore, dat vires ad exequendum quicquid a Deo præcipitur; fecus vero lex humana.

IV. Quæritur nunc primo, An poffit lex humana præcipere, vel prohibere actus de fe indifferentes, videlicet nec bonos, nec malos ex genere fuo?

D

Re

Respondeo, communiter Doctores cum D. Th. quæst. 92. art. 2. id affirmare, si actiones indifferentes non considerentur secundum se, sed quatenus utiles esse possunt, aut noxiæ bono communi: Sic prohibetur, verbi gratia, egredi domo noctu, gestare arma, ad malum Communitatis vitandum: Semper enim Legislatores in lege ferenda respicere debet bonum honestum, ex quo actus de se indifferens recipit honestatem suam, & est materia legis: Verbi gratia, ingredi domum aliquam est actus indifferens; si tamen quis voveat, aut si Legislatores vetet ingressum in aliquam domum, in qua facile reperitur occasio peccandi, aut rixandi, &c. talis omissio evadit honesta, & fit materia voti, ac legis: Immo aliquando potest prohiberi ipse actus virtutis, si hoc expediat bono communi, ut prohibentur aliquando jejunia frequentia, immoderata vigilia, &c. Quod si res aliqua indifferens nullatenus conferat ad bonum commune, certe non erit materia legis, sicut nec voti; unde non potest lege humana præcipi, aut prohiberi.

V. Ubi notandum, quod tam lex civilis, quam canonica in præcipiendo honestatem, & virtutem, respicere debeat bonum Communitatis; Lex tamen canonica primo, & per se respicit virtutem, & honestatem tamquam media, quibus homo dirigatur ad finem supernaturalem; Lex vero civilis eandem respicit, quatenus conducit ad rectam gubernationem, & pacem in populo conservandam; & ideo materia legis canonice est spiritualis, materia vero legis civilis est temporalis.

VI. Neque obstat, quod ab utraque lege prohibeantur, verbi gratia, Usuræ, Perjuria, Incestus, Sodomie, Matrimonia clandestina, &c. Nam hæc prohibentur a lege canonica, quatenus impediunt a fine supernaturali conse-

quando; a lege vero civili, quatenus impediunt pacem, & rectam gubernationem, & sic hujus legis materia temporalis est. Neque dicas frustra hæc prohiberi lege canonica, & civili, cum prohibita præsupponantur lege naturali: Nam ideo prohibentur etiam lege humana, ut transgressores evadant specialiter subjecti ad poenam temporalem, & sic ab his culpis retrahantur; cum magis retrahat aliquos a culpa timor poenæ temporalis, quam aeternæ.

VII. Quæritur secundo, An leges canonice, & civiles imperare possint actus internos?

Prima opinio Medinæ, Cordubæ, & aliorum apud Sal. disp. 9. sect. 1. affirmat; Primo, quia Pontifex cap. 1. de Hæreticis sub poena excommunicationis præcipit Episcopis, & aliis Inquisitoribus fidei, ut officium Inquisitionis exequantur absque ullo odio, ira, timore, spe lucri, aut alio humano affectu. Secundo, in cap. *Dolentes*, de Celebratione Missarum præcipitur, ut officium studiosè, idest attente, & devote recitetur. Tertio, potestate humana vota interna commutantur, dispensantur, & peccata interna reservantur. Quarto, Confessarius potest injungere orationem mentalem; sicut etiam ea præcipitur in multis Religionibus. Quinto a priori, quia Christus Dominus potuit communicare suo Vicario hanc potestatem, & de facto communicasse dicendum est, cum dixit: *Tibi dabo claves Regni Cælorum, quodcumque ligaveris*, &c. Nam ex leg. 3. ff. de officio Præsidis, concessio Principis ample interpretanda est; & ubi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus: Neque obstat, quod Superior humanus non possit actus internos probare, aut punire, &c. Nam neque potest probare actus externos occultissimos, & tamen prohibet illos, & punit suis censuris, ut hæ-

hæreticum externum occultissimum. Quamvis autem actus internus sit occultus per se, & actus externus sit occultus per accidens, parum id refert ad rem moralem; quia Ecclesia punit hæreticum externum occultum sine probatione, & cognitione delicti; ergo parum refert, quod secundum se peccatum externum occultum probari possit, & internus actus probari non possit.

Secunda tamen opinio communius negat posse per se, & directe lege humana præcipi, aut vetari actus mere internos. Quod tamen de lege civili videtur omnino certum; quia lex civilis solum potest præcipere, aut vetare actus, qui conservare possunt Rempublicam, aut perturbare, cujusmodi sunt soli actus externi: Sed nec legem canonicam posse versari circa actus mere internos. Probatur primo, quia Ecclesia nunquam præcepit actus mere internos: ergo signum est, quod hanc potestatem non habuerit a Christo Domino communicatam. Immo ex Apost. ad Cor. 14. videntur soli Deo reservari arcana cordium, cum dixerit: *Nolite ante tempus judicare, quoad usque veniat Dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium.* Secundo, quia Ecclesia non potest leges ferre de eo, de quo non potest ferre iudicium, aut pœnas sumere, ut sunt actus interni. Tertio, quia Ecclesia visibilis non habet potestatem in nostras animas, nisi ut corpori conjunctas; ergo nec habet potestatem in actus mere internos, sed solum quatenus conjunguntur necessario cum externis, quos præcipere potest ad externam gubernationem. Hinc in cap. *Tua nos*, & cap. *Sicut tuas*, de *Simonia* dicitur: *Nobis datum est de manifestis tantum judicare*; Et cap. *Erubescant* dist. 32. dicitur: *Deus secretorum cognitor, & iudex est.* His positis

Dico primo cum D. Th. 1. 2. quæst. 91. art. 4., & aliis communius apud Pal. punct. 6., lege humana non posse præcipi actus mere internos directe, & per se, seu nullatenus conjunctos cum externis; quod probant rationes adductæ.

VIII. Dico secundo: Si actus interni sunt necessarii ad actus externos, quos potest lex humana præcipere, aut prohibere, possunt indirecte præcipi: Verbi gratia, quia ad vendendas merces est necessaria intentio vendendi, ad missam audiendam humano modo requiritur intentio id faciendi, ad contractus ineundos requiritur intentio contrahendi, & probabiliter voluntas se obligandi; ideo lex humana, tam civilis, quam canonica, sicut potest directe præcipere contractus, auditionem Missæ, &c. ita potest indirecte præcipere actum internum requisitum ad contractum, & ad Missæ auditionem: Sic quia ad ministrandum Sacramentum requiritur essentialiter intentio faciendi, quod facit Ecclesia, & ad orationem vocalem requiritur intentio, & attentio, quando ista præcipiuntur, indirecte etiam præcipitur actus internus, quatenus est forma actus exterioris, seu quatenus per se requisitus ad actum exteriorem intentum a Legislatore.

Quod possit sic præcipere actus internos lex civilis, & Ecclesiastica, Probat, quia tales actus exteriores pertinent ad bene conservandam Rempublicam, & ad cultum religiosum Deo debitum; Si tamen illi actibus internis essent destituti, obessent potius, quam prodesset Reipublicæ, & cultui Deo debito; Contractus enim ficti, & fraudulentum obsunt Reipublicæ; sicut etiam oratio ficta sine intentione, & attentione debita non confert ad cultum Deo exhibendum, nec Sacramentorum ministratio prodesset Reipublicæ Ecclesiasticæ sine intentio-

ne illa conferendi; ergo lex humana, ad quam spectat hos actus exteriores directe praecipere, poterit etiam indirecte praecipere interiores per se requisitos ad illos.

Dico tertio; Si actus interior non est per se requisitus ad actum exteriorum physicum, aut moralem efficiendum, sed per accidens cum illo conjungitur, non potest a lege humana, ne Ecclesiastica quidem (in praesenti providentia) praecipere. Ita Suar. lib. 4. cap. 12., & Pal. loc. citat. Ratio est, quia in tali casu directe praeciperetur actus interior, quod ad rectam Ecclesiae gubernationem nullatenus videtur pertinere. Unde fit, Ecclesiam nunquam praecipere, verbi gratia, quod in oratione fundenda, vel eleemosyna danda habeant homines hanc, vel illam intentionem, sed solum quod fundant orationem, quod dent eleemosynam, audiant missam, jejunent, &c. quocumque id sine faciant: Quod ex eo constat, quia si quis daret eleemosynam, aut missam audiret ob vanam gloriam, vel ob alium pravum finem, non peccaret contra legem Ecclesiasticam; ergo signum est, quod non habeat in praesenti providentia Ecclesia facultatem praecipendi actus internos, qui per accidens conjunguntur actui externo pracepto.

IX. Ex dictis sequitur primo, quod dum Ecclesia, verbi gratia, praecipit orationem vocalem, puta officium, praecipit indirecte attentionem debitam, sine qua oratio consistere non potest; unde Ecclesia dicitur sub sua potestate habere indirecte actum hujusmodi internum necessario requisitum ad externum, quem praecipit; Et ideo qui officium recitat sine debita attentione, dicitur transgredi legem Ecclesiasticam, & esse reus poenae Ecclesiasticae. Sic dum praecipit Ecclesia confessionem annuam, praecipit indirecte dolorem peccatorum,

& confessionem omnium culparum internarum, quia non subsistit sine istis actibus confessio, prout instituta est a Christo Domino, quae ab Ecclesia praecipitur.

Sequitur secundo, quod si quis habeat intentionem, verbi gratia, non audiendi Sacrum, hic vere peccet contra praceptum Ecclesiasticum de missa audienda; nam qui praecipit aliquid, praecipit etiam id quod necessarium est ad ponendum id, quod praecipitur; ergo Ecclesia praecipiens auditionem missae praecipit intentionem illam audiendi, sine qua missa audiri non potest humano modo; ergo qui habet intentionem contrariam non audiendi missam, vere peccat contra praceptum Ecclesiae. Quod si auditio missae praecipitur sub poena excommunicationis, Ecclesia non intendit suis poenis punire merum actum internum, seu meram intentionem non audiendi Sacrum, ut constat ex omnium sensu, sed ipsam omissionem externam auditionis Sacri: Quamvis posset ipsam intentionem non audiendi Sacrum punire poenis suis, dummodo talis intentio exterius manifestetur; Sicut poena excommunicationis punit haereticum, qui signo externo prodit haeresim suam, verbi gratia, qui ore profert suam haeresim, quamvis a nemine posset audiri; Quod si actus internus prohibitus non manifestetur signo externo, non posset puniri poenis Ecclesiasticis; quia actus mere internus non cadit, ut diximus, directe sub potestate, & iudicium humanum.

X. Respondeo nunc ad rationes in contrarium adductas. Ad primam dico, quod dum puniuntur poena excommunicationis Inquisitores, qui ex odio, vel amore suum munus exequuntur, punitur actus externus, qui supponitur malus, sub conditione tamen, quod procedat ex odio; Sicut

ti si excommunicet delinquentes scienter, puniuntur delinquentes sub conditione, quod scienter deliquerint. Ita Pal. Quod si actus externus non esset de se malus, sed Inquisitores recte se gerent, quamvis ex odio; tunc responderi potest cum Vasq., & Sal. disp. 9. sect. 1. num. 8., quod non puniantur hi affectus interni, nisi peculiari signo aliquo externo cognosci possint; Quod si odium, amor, spes lucri, &c. essent omnino occulti, nec signo externo ullatenus cognoscibiles, excommunicatio ab Inquisitoribus non contraheretur. Idem dicitur de excommunicatione lata in *Clement. 1. de statu Monachorum* contra Benedictinos, qui se transferunt ad Curiam Regis sine licentia Superioris, animo illum accusandi; nisi enim hic animus manifestetur, non contrahitur excommunicatio ab eunte sine licentia ad Curiam Regis: Vel juxta sententiam Palai, hic animus accusandi mere internus est conditio requisita, ut contrahatur excommunicatio ab eunte sine licentia ad Curiam Regis; Et juxta hanc sententiam, ut contrahatur excommunicatio, non satis est, quod actus internus sit malus, eo quod sit mera conditio ad excommunicationem contrahendam, sed debet esse malus ipse actus externus, ut est in casu nostro adire Curiam Regis sine licentia superioris. Quando vero Ecclesia in recipientibus beneficium Curatum requirit intentionem recipiendi intra annum Sacerdotium, ita ut aliter non possint beneficia retinere, nec faciant fructus suos; in tali casu non fert legem Ecclesia de actu interno, sed solum requirit illam intentionem, & conditionem ad conferendum beneficium: Sicut ad largiendas indulgentias requirit tamquam conditionem, quod ore pro dilatatione Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, pro pace, & concordia

inter Principes catholicos; cum enim Ecclesia sit administratrix beneficiorum, & dispensatrix Indulgentiarum, poterit nolle ea largiri, nisi sub conditione actus interni.

Ad secundam, recitantibus officium præcipitur attentio, & intentio indirecte, ut diximus, quippe quæ est per se requisita ad officium præceptum; directe vero solum præcipitur externa attentio, & devotio, quæ consistit in hoc, quod homo, dum officium recitat, non ponat actionem aliquam impossibilem cum attentione interna, (verbi gratia, non legat aliud, aut scribat, &c.) & sit cum decenti corporis compositione, quam devoti habere solent.

Ad tertiam, Confessarius absolvit peccata mere interna, dummodo ea penitens confiteatur, quia hanc jurisdictionem Christus Dominus communicavit in bonum fidelium; Potest etiam Pontifex reservare peccata mere interna; (quamvis id non soleat fieri) quia cum habuerit a Christo Domino facultatem absolvendi ab omnibus omnino peccatis, poterit communicare jurisdictionem hanc aliis limitatam, ita scilicet ut non absolvant ab aliquibus peccatis mere internis; Sicut potest reservare sibi aliquod peccatum internum, verbi gratia, hæresim, &c. Et ratio a priori est, quia expedit in bonum fidelium, quod habeat Pontifex potestatem absolvendi peccata etiam interna, & communicandi hanc jurisdictionem aliis cum limitatione; At non expedit, quod possit præcipere, aut prohibere actus mere internos, quos probare, & punire non potest; & ideo non est asserendum, quod talis potestas sit Ecclesiæ a Christo Domino communicata. Eodem modo potest Pontifex dispensare, irritare, commutare vota, & juramenta mere interna; quia hoc expedit ad bonum fidei.

fidelium ; & ideo dicendum, hanc potestatem esse a Deo illi communicatam . Aliqui docent , quod non possint vota mere interna dispensari, nisi exterius manifestentur ; sicut peccata interna non absolvuntur , nisi manifestentur confessario ; Sed hoc negat Vasq. disp. 160. cap. 4. num. 17. ; Potest enim Pontifex , & superior absolute dicere : Si hoc votum emisisti, ego tecum dispenso, vel irrito, vel commuto .

XI. Neque dicas : Si Ecclesia potest tollere obligationem voti interni, & veluti solvere voti reum, quidni poterit aliquem pro peccato mere interno excommunicare, & suo modo ligare ? Ecclesia enim sicut habet potestatem solvendi, ita habet etiam ligandi. Respondeo, disparitatem esse, quia dispensatio in votis non est absolutio, nec actus judicialis ; absolutio enim est juxta jus , seu exigitur a jure positis requisitis , & ideo est actus judicialis ; dispensatio vero est contra jus , & vulnus legis, seu juris, & ideo non est actus judicialis : Quare ex eo, quod propter bonum fidelium possit Ecclesia dispensare in votis internis, non sequitur, quod possit ullum actum judicialem exercere circa actus internos ; & consequenter non sequitur , quod possit ferre leges, aut punire, seu ligare excommunicatione peccata mere interna ; Sed disparitas ulterior est, quia expedit ad bonum fidelium, ut possit & vota interna tollere , & exercere actum judicialem absolvendo a peccatis mere internis ; non tamen ut possit ligare, seu punire aliquem excommunicatione, aut aliis suis pœnis propter peccata mere interna ; unde illa , non hæc potestas est Ecclesiæ communicata ; quamvis peccata mere interna possit ligare, seu retinere, non absolvendo hic, & nunc ab illis.

XII. Ad quartam, multi apud Sal.

docent, non posse confessarium in pœnitentiam injungere orationem mentalem, aut alium actum internum ; quia satisfactio est pars integralis Sacramenti, quod est essentialiter signum sensibile , & ideo satisfactio debet esse actus externus sensibilis . Sed hanc opinionem Salas refellit docens , quod in foro interno Sacramentali, in quo reus est accusator sui, potest imponi pœna mere interna ; quia hoc expedit ad salutem animæ ; Neque enim omnes partes constituentes Sacramentum debent esse sensibiles : Ad eum modum, quo contritio interna constituit Sacramentum, & satis est, quod fiat sensibilis per confessionem ; ita satisfactio potest esse actus internus , qui evadat sensibilis per acceptationem sensibilem pœnitentiæ impositæ a confessario . Caterum Prælatus Religionis ratione voti obedientiæ emissi a subditis non potest præcipere orationem mentalem, nec imponere pœnitentiam pro ejus omissione confessæ a subdito ; Nam , ut loquitur D. Th. 2. 2. quaest. 104. art. 5., homo quoad actus internos soli Deo subditur ; Solum potest Prælatus præcipere, ne tempore orationis mentalis ponantur actus externi impeditivi orationis mentalis, cum hoc tantum requiratur ad gubernationem externam . Non negaverim tamen , quod docet Sal. num. 31., quod sicut potest quis votum absolute orationem mentalem, ita possit votum illam, si Prælatus injunxerit ; in quo casu posset Prælatus illam injungere ; & hic teneretur vi voti obedientiæ sic emissi ad orationem mentalem : Sed non est præsumendum, quod de facto sic emittatur a Religiosis votum obedientiæ, nisi regula alicujus Religionis præcipiat actus internos, puta orationem mentalem, aut significet posse Prælatos injungere subditis actus internos ;

tunc



tunc enim votum obedientiæ videtur emissum sub ea conditione, quod Prælatus possit ad tales actus obligare; & in tali casu posset Superior actus mere internos injungere ex voluntate ipsius voventis, qui voluit sic vivere, non ex potestate sibi facta a Christo Domino immediate.

XIII. Ad quintam, satis diximus non esse præsumendum, quod talis potestas præcipiendi actus mere internos de facto concessa sit Ecclesiæ a Christo Domino pro foro externo, propter rationes adductas; Quando enim Christus Dominus dixit Petro, *Pasce oves meas; Tibi dabo claves, &c.*, dedit ei facultatem pascendi, & gubernandi tam pro foro interno, & Sacramentali, quam pro externo, sed ita ut leges ferat juxta naturam, & conditionem cujuscumque fori; ergo cum ad forum externum non pertineat, quod præcipi possint actus interni, ideo solum in foro Sacramentali habetur talis potestas remittendi, vel retinendi peccata mere interna; non vero pro foro externo, puniendi scilicet illa, verbi gratia, censuris, quippe quæ ferri non possunt, nisi ab eo, qui jurisdictionem habet pro foro externo.

Ad id, quod additur, respondetur, posse quidem puniri ab Ecclesia suis censuris hæresim, verbi gratia, externam occultissimam, non vero hæresim mere internam. Ratio est, quia hæc est occulta per se, & nullo modo cognoscibilis a Superiore humano, illa vero est per accidens occulta, & ab homine secundum se cognoscibilis; Multum autem refert in re morali, utrum aliquid sit per accidens, an per se occultum; Expediendū enim fuit, ut possit puniri, quod per accidens est occultum, non vero quod est occultum per se; quia illud secundum se est cognoscibile ab homine, & secundum se potest Rempu-

blicam perturbare, non vero istud.

## ARTICULUS II.

Quisnam possit condere leges civiles?

- I. Reges ab ipsa Communitate potestatem habent ferendi leges civiles.
- II. In quibus differat potestas dominativa a potestate Jurisdictionis, & Politica requisita ad leges ferendas.
- III. Probabilis nequit Pontifex leges civiles ferre obligantes totum Orbem.
- IV. Potestatem in temporalia omnia solum habet Pontifex indirectam, disponendo de illis, quando id expedit ad animarum salutem.
- V. Nec Imperator potest totum Orbem obligare legibus suis.
- VI. Reges ferre possunt leges juxta concessionem ipsis factam a Communitate; Et Proreges juxta concessionem factam a Regibus.
- VII. Ad Reginam spectat leges ferre, si jure successionis Regnum possideat, quamvis alteri Matrimonio jungatur.

I. **C**ertum est dari in hominibus potestatem ferendi leges civiles, videlicet de se ordinatas ad conservandam pacem in Republica humana; sicut leges Ecclesiasticæ ordinantur de se in bonum animarum. Ratio est, quia sine legibus communitas hominum gubernari non posset. Hanc tamen potestatem nemo habet a natura, quia natura homines fecit liberos; quare potestas condendi leges est in ipsa communitate hominum: Quia tamen homines consueverunt rectius gubernari ab uno, quam ab aliquibus, vel ab omnibus; (quandoquidem si omnes gubernarent, magna esset confusio) ideo com-

Communitas transfuit potestatem con-  
dendi leges, & gubernandi in unum,  
aut in aliquos determinatos, puta in  
Regem, Imperatorem, aut in Sena-  
tores, aut alios Principes supremos,  
a quibus possit commode gubernari.  
Unde fit, Regem habere suam pote-  
statem immediate ab ipsa Republica,  
ut deciditur in *leg. 1. ff. de constitu-  
tionibus Principum*. Neque hinc sequi-  
tur, quod Respublica sit superior Re-  
ge, aut quod possit Regem spoliare  
hac potestate. Nam sicut qui se tra-  
dit, aut vendit alteri in servum, &  
qui donat alteri rem aliquam, non  
potest amplius illum spoliare tali do-  
minio; ita communitas, quae tradidit  
Regi jus Jurisdictionis erga se ipsam,  
semper erit subdita, nec potest am-  
plius spoliare Regem sua jurisdic-  
tione.

II. Ex quo fit, quod Pater non di-  
catur habere potestatem ferendi leges  
filiis; quia Pater habet ab ipsa na-  
tura potestatem dominativam, & œco-  
nomicam erga filios, non vero pote-  
statem jurisdictionis publicam, & po-  
liticam, prout requiritur ad leges fe-  
rendas. Potestas autem dominativa  
differt a potestate jurisdictionis, pri-  
mo ex fine, eo quod illa in præcipi-  
endo possit respicere bonum priva-  
tum, hæc vero respicere debeat bo-  
num Communitatis; Secundo ex ob-  
jecto, quia illa potest cadere in per-  
sonas privatas, & in Communitatem  
aliquam imperfectam, puta in fami-  
liam, vel in aliquos, qui se vendunt  
alteri in servos; hæc vero respicit  
Communitatem perfectam. Tertio ex  
origine, quia potestas dominativa  
vel acquiritur naturali origine, ut po-  
testas Patris erga filios, quibus po-  
test præcepta imponere, prout expe-  
diunt ad bonum regimen domus, un-  
de dicitur œconomica; Vel acquiri-  
tur per contractum, ut potestas viri  
erga uxorem, & potestas domini er-

ga servum sibi venditum; &c. Pote-  
stas vero jurisdictionis acquiritur, vel  
per hoc, quod aliquis a Communi-  
tate perfecta eligatur in Superiorem,  
vel per hoc, quod a Deo, aut ab  
habente a Deo, vel a Communitate  
hanc potestatem in Superiorem ali-  
cujus Communitatis constituatur. De-  
mum differt in modo cogendi subdi-  
tos; quia potestas dominativa non  
potest subditos punire pœna sangui-  
nis, sicut potestas jurisdictionis: So-  
lum enim potest moderatum suppli-  
cium servis infligi. Quod autem atti-  
net ad Judices, licet habeant publi-  
cam potestatem & jus jurisdictionis,  
non possunt tamen leges ferre; quia  
a Rege habent jus jurisdictionis limi-  
tatum, videlicet ut possint præcepta  
ferre tantum in causis decidendis.

III. Quæritur nunc primo, An pos-  
sit Pontifex ferre leges civiles obli-  
gantes totum Orbem?

Respondeo, aliquos cum Ostiens.,  
Navar., Panormit. apud Sal. disp. 7.  
sect. 4. concedere, quia Pontifex est  
Vicarius summi, & veri Regis Chri-  
sti Domini; unde potest directe con-  
dere leges civiles obligantes totum  
Orbem, non secus ac Christus Do-  
minus, cujus vices in terris gerit:  
Et potest etiam donare Regna Infideli-  
um, quibus maluerit, ut fecit A-  
lex. VI., qui Regnum Indiarum Oc-  
cidentalium anno 1493. divisit inter  
Reges Hispaniæ, & Lusitaniæ: Quod  
consonat verbis Christi Domini dicen-  
tis: *Data est mihi omnis potestas in  
Cælo, & in Terra*. Si ergo Christus  
Dominus est Rex Regum, (etiam in  
temporalibus, & in quantum homo)  
erit pariter cum eadem potestate e-  
jus Vicarius: Et pro hac sententia se-  
ptendecim argumenta adducit Navar.  
apud Sal. Sed communiter Doctores  
docent, Pontificem non habere jurif-  
dictionem temporalem in totum Or-  
bem, nec posse leges civiles impone-  
re,

re, nisi terris, quarum est dominus temporalis ex donatione Imperatorum, & Principum: Possent tamen leges civiles in Regnis Christianorum ferre, quando id visum fuerit expediens ad cultum Dei, & ad salutem animarum: Quam potestatem aliqui vocant indirectam erga temporalia, aliqui vocant spiritualem; sed utroque nomine appellari potest, quia ratione materiæ est temporalis, & ratione finis est spiritualis.

Probatur autem, quod Pontifex non habeat jurisdictionem directam in temporalia pro toto Orbe; Apost. enim I. ad Cor. 5. dicit, *Quid mihi de his, qui foris sunt, judicare?* Unde nullam habet potestatem erga infideles; Nec circa Regna Christianorum habet potestatem directam in temporalia; aliter Reges non essent supremi domini in temporalibus, & deberent Superiorem cognoscere; quod est contra usum, & sensum Ecclesiæ, ut ostendit Bellarm.: Præterea Pontifex non esset caput solius Ecclesiæ, sed Orbis; non haberet claves solum Regni Cælorum, sed etiam Regnorum Terræ; cum tamen Christus Dominus solum illi contulerit claves Regni Cælorum. Unde sequitur, quod non possit politicas leges imponere nec Regnis Infidelium, nec Regnis Christianorum. Et ratio a priori est, quia non fuit expediens ad fidei propagationem, quod Pontifex haberet dominium directum erga temporalia; Difficiliter enim ad fidem veniret Rex, qui sciret Pontificem posse ad arbitrium spoliare illum suo Regno: Quare sicut de Christo Domino dicitur, *Non eripit mortalia, qui Regna dat caelestia*; ita debuit idem dici de ejus Vicario.

Ad rationes in contrarium respondetur, Christi Vicarium habere dumtaxat potestatem sibi traditam a Christo Domino, videlicet solum claves

Pars I.

Regni Cælorum. Circa divisionem Indiæ occidentalis factam inter Reges Hispaniæ, & Lusitaniæ respondent aliqui, id fecisse Pontificem juxta opinionem contrariam, quæ etiam est probabilis: Alii cum Bannez respondent, Pontificem voluisse, ut si Indi converterentur, essent Reges, & haberent erga subditos potestatem Imperatoriam; non quod voluerit eos privare Regnis suis, etiamsi non essent injurii Religioni Catholicæ, sed quod voluerit eo mitti Concionatores, & Prædicatores fidei, qui, si non admitterentur, possent compelli, privando eos Regnis suis; quod facere potest ex potestate indirecta erga temporalia, quatenus scilicet ejus usus conducatur ad propagationem fidei, & ad salutem animarum.

IV. Quod vero hujusmodi potestatem indirectam habeat Pontifex in Regna temporalia, ex eo probatur, quia sine hac potestate non esset bene provisum Ecclesiæ; cum sæpe opus sit de temporalibus in ordine ad spiritualia statuere. Unde Innoc. III. in cap. *Solita*, de *Majoritate, & obedientia* dicit, *Papæ aptari, quod unum ex Sacerdotibus veteris legis dicitur; Ego constitui te hodie super Genes, & Regna, ut evellas, & destruas, & ædifices, & plantes.* Et Bonifac. VIII. in Extravag. *Unam Sanctam*, ait: *Opponet gladium esse sub gladio, & auctoritatem temporalem spirituali subiici potestati.* Sicut enim corpus subditur animæ, & temporale spirituali; ita potestas in temporalia subdi debet potestati, quam habet Pontifex erga spiritualia; quod est habere indirectam potestatem in temporalia, & posse leges civiles ferre, quando id expedit in salutem animarum. Et ideo in cap. *final. de Præscriptionibus* Pontifex abrogavit legem civilem permittentem præscriptionem cum mala fide; quia talis lex fovebat fraudes, & latrocinia:

E                      nia:

nia: Et in cap. *Cum haberet, De eo, qui duxit in matrimonium*, abrogavit etiam legem civilem, quæ negabat filiis illegitimis alimenta; quia talis lex adversatur pietati naturali. Potest pariter Pontifex leges civiles ferre spectantes ad bonum regimen, quando Reges sunt negligentes in iis ferendis, ac proinde peccata grassantur in Republica; hoc enim non est habere directam jurisdictionem temporalem in subditos Regios, & Imperiales, sed solum habere indirectam temporalem, seu potestatem spirituales spectantem illorum conscientias, ratione cuius providere, & statuere poterit quicquid expediens, ac necessarium ad eorum salutem judicaverit.

V. Quaritur secundo, An possit Imperator legitime ferre leges civiles obligantes totum Orbem?

Respondeo, aliquos apud Sal. disp. 7. sect. 8. affirmare, quandoquidem Luca 2. habetur, *Exiit edictum a Cesare Augusto, ut describeretur universus Orbis*. Sed communiter id negant; quia talis jurisdictio nec competit ei jure naturæ, nec jure Gentium, nec ex concessione Dei, aut Papæ; cum Papa nec ipse habeat, nec possit illam aliis concedere; nec illam habet jure belli, cum Romanorum Imperator nunquam Scythas, Persas, Indos habuerit subditos; unde non solum non habet in ea Regna jus proprietatis, quod etiam Adversarii concedunt; sed nec jus jurisdictionis. Quando autem dicitur exiisse edictum a Cesare, ut describeretur universus Orbis, illud dicitur per hyperbolem, & exaggerationem; quia Imperium tunc in magnam Orbis partem dominabatur. Quare de facto Lusitani, Galli, Poloni, Angli, &c. nullatenus subditi sunt Imperatori; & hujus leges solum obtinent locum in Regnis, Ducatibus, Marchionatibus, Comitibus, & Ba-

ronatibus Imperio subditis, quales sunt Ducatus, & Marchionatus in Germania, & aliqui in Italia, qui recognoscunt Imperatoris dominium vel jure feudi, vel alia ratione. Et quavis hujusmodi Duces, & Marchiones monetam cudere possint, & leges ferre pro suis statibus, id tamen habent Imperatoris auctoritate; Unde ubi leges proprias non habent, legibus Imperatoriis uti debent. An autem leges propriæ possint derogare Imperatoriis? constare debet, ut docet Suar., ex concessione iis data ab eodem Cesare, & ex consuetudine locorum.

Ostendit etiam Vasq. disp. 113. cap. 2. contra Pal. punct. 22., & Gomez, quod Lusitani, Galli, & Hispani nullatenus obligentur legibus Imperialibus, etiam in iis rebus, de quibus nihil leges Regni statuerunt; Sed aliquando leges Imperatorum allegantur, non ut leges obligantes, sed ut dictamina rationi conformia, ut revera sunt, & naturam contractuum explicantia: Sicut etiam iisdem eodem modo utuntur Ecclesiastici, ex Panormit.: Unde leges Imperatoriæ irritantes contractum, aut testamentum sine certis conditionibus factum, non sunt servandæ in iis locis; quia non est consuetudo, ut pro legibus habeantur; ut ipse etiam Pal. admittit ex Suar. lib. 3. cap. 8. Nec verum est, quod docent multi Juristæ apud Sal. sect. 10., quod in Hispania deficiente jure Hispano, lites decidendæ sint juxta jus Canonicum, cum nullibi id sancitum sit. In Provinciis tamen temporaliter subditis Pontifici sancitum est in cap. 1. *de novi operis nunciis*; quod deficientibus legibus Pontificiis, serventur Imperatoriæ; Quod etiam servandum est pro tota Ecclesia in causis spiritualibus decidendis; Et idem sancitum est in Lusitania.

Notandum hic, nos locutos esse de Imperatore legitime electo; aliter ca-

ret

ret potestate legislativa, non secus ac Rex Tyrannus, qui per vim, & injustitiam Regnum occuparet. Si tamen successu temporis populus talem principatum admitteret, tunc, ut notat Suar. lib. 3. cap. 3., Sal. disp. 7. sect. 12., & Pal. loc. cit. contra Sor., haberet ex populi consensu legislativam potestatem; Immo dum Tyrannum hunc a se expellere non potest, eo ipso populus tacite concedit illi potestatem legislativam ad vitandum majus malum; quia scilicet majus malum est populum carere omni gubernatione, quam permittere, ut gubernetur a Tyranno, quem expellere non potest.

VI. Quæritur tertio de Rege, & Regina, & aliis Principibus, Rebus publicis, & Communitatibus, quas leges ferre possint?

Respondeo, Reges, & omnes Principes supremos non agnoscentes Superiorem in temporalibus, sicut etiam Respublicas independentes, ut sunt Veneta, Genuensis, & similes, posse pro suis ditionibus leges ferre: Qui vero Superiorem agnoscunt, examinare debent ex privilegiis, & consuetudine, quomodo sit iis concessa potestas gubernandi? num ita ut ferre possint leges proprias, etiam legibus communibus contrarias, an non? Et pro modo concessionis possunt uti potestate concessa: Et idem dices de Proregibus, & aliis, quibus facultas ferendi leges est delegata. In Hispania Principes nullatenus possunt ferre leges, ex *leg. 12. tit. 1. part. 2.* Et in Regno Aragoniæ ne ipse quidem Rex potest leges ferre independentem a Regno; quia sub hac conditione illud se tradidit Regi gubernandum.

Demum Civitates subditæ possunt ex concessione Principis Supremi leges sibi ferre, quæ municipales dicuntur; At in Hispania, ut notat Vasq., manifeste statuitur, ut hujus-

modi ordinationes sine consensu Regis nullam vim habeant; Possunt tamen facere quasdam conventiones, & pacta non perpetua; Sicut potest Paterfamilias pro sua domo ex D. Th. 1. 2. quæst. 90. art. 3.

VII. Circa Reginam, ad quam jure successione Regnum spectat, si non sit Matrimonio juncta, certum est, quod possit leges condere, sicut quilibet Rex; quia eandem habet potestatem: Neque obstat, quod Apost. 1. ad Timoth. 2. dicat, *Docere mulieri non permitto, nec dominari in virum.* Nam quamvis indecorum sit, quod fœmina doceat, non tamen quod regnet, & leges ferat ex consilio prudentum; cum non debeat ipse Gubernator omnia scire.

Neque obstat secundo, quod in *leg. Fœminas ff. de Regul. juris* dicatur, fœminas ab omnibus officiis publicis remotas esse. Nam non intelligitur de fœminis, a quibus ipsa officia communia dependent. Si tamen Regina Matrimonio alteri jungatur, communiter docent, quod ipsa debeat leges ferre, non maritus; quia retinet jus, & dominium Regni, quod alteri transferri non potest, nisi de consensu ipsius Regni: Nec ratione matrimonii Regnum transfertur in maritum; nam sic mortua Regina sine liberis, maritus remaneret Rex dominus Regni, quod est falsum.

Dices, Ratione matrimonii transferri in maritum administrationem Regni, non proprietatem; ut dicitur de dote. Sed contra, quia hoc ipsum sine populi consensu transferri non potest: Idcirco autem administratio dotis transfertur in maritum, ut possit hic onera Matrimonii sustinere; Quod non militat in Regno, quod nec dari potest in dotem. Est quidem vir caput uxoris, & hæc illi subdita, sed in iis, quæ pertinent ad domum, & familiæ gubernationem, & educationem

nem filiorum; & relate ad hæc Apostolus non permittit mulieri dominari in virum: At in administratione politica maritus est subditus uxori, si huic competat jus, & dominium Regni.

Dices, Ex leg. 9. titul. 1. part. 2. Dominium Regni acquiri a marito ratione matrimonii. Sed hoc, ut diximus, est aperte falsum. Quare Gregor. Lopez notat, quod in hac lege habeatur limitatio, & declaratio, quando scilicet ratione matrimonii Regina tribuit marito nomen Regis, & honores Regni. Atque hæc de legibus civilibus; gradum nunc facimus ad leges Ecclesiasticas.

### ARTICULUS III.

Quinam possit condere Leges Ecclesiasticas?

- I. Pontificem posse suis legibus Ecclesiasticis totum Orbem obligare independentem a Conciliis Oecumenicis constat ex iisdem Conciliis, & ex ipsis Conventibus Gallia Generalibus usque ad præsens sæculum.
- II. Cardinalium, & Theologorum consensus est conveniens, sed non necessarius, ut possit Pontifex aliquid statuere tanquam Christi Vicarius.
- III. Episcopi verius immediate a Pontifice, mediate a Christo Domino potestatem habent ferendi leges pro suis Diocæsis.
- IV. Nequit Episcopus pro sua Urbe quicquid potest Papa pro toto Orbe.
- V. Non requiritur consensus Cleri, ut Episcopus legem ferat. Solum pro festis statuendis requiritur Cleri, & Populi consensus.
- VI. Quid possint Archiepiscopi relate ad totam Provinciam? Quid Concilia Nationalia, Provincialia, & Diocesana?
- VII. Non habent vim legis decreta Con-

ciliorum, qua in Gratiano reperiuntur, nisi a Pontifice sint approbata.

VIII. Num habeant vim legis decreta Congregationum Cardinalium.

IX. Capitulum Sede vacante probabilius potest leges condere, ut poterat Episcopus.

X. Quousque se extendat potestas Legislativa in Prelatis Regularibus, & in Abbatissa?

I. **D**iximus, leges Ecclesiasticas de se ordinari ad bonum animarum; leges vero civiles ordinari de se ad conservandam pacem in Republica humana.

Quæritur nunc primo; An possit Pontifex ferre leges Ecclesiasticas, seu Canonicas independentem a Conciliis, & a consensu Cardinalium?

Respondeo, Pontificem habere a Christo Domino hanc potestatem; quando enim dedit Petro Claves Regni Cælorum, dedit ei, & ejus successoribus principatum in Ecclesia, & potestatem legislativam in ordine ad finem spiritualem, & ad Regnum Cælorum acquirendum. Hinc non pendet ista auctoritas a Conciliis, & a Cardinalibus; Christus enim dixit Petro, Tibi dabo Claves, &c. Immo communiter docent cum Bellar. 2. de Concil. cap. 14. Molin., Sal. disp. 8. art. 25., & 70. contra Parisienses, Pontificem esse supra Concilia; ut proinde damnata sit ab Alex. VIII. propositio 29. dicens: *Futilis, & toties convulsa est assertio de Pontificis Romani supra Concilium oecumenicum auctoritate, atque in fidei questionibus decernendis infallibilitate; Quod ex eo patet, quia in legibus Concilii potest Papa dispensare, potestque illas abrogare: ergo Papa superior est Concilio, & sic expedit gubernationi Ecclesiæ; cum non possint Concilia, nisi post longum tempus, & multas expen-*

penfas convocari. Adde, definitum esse ex Cajet. in Conc. Lateran. 3. sub Leone X., Papam esse supra Concilium; Sed quia Episcopi Galli in eo non interfuerunt propter bella, ideo non admiserunt illud Concilium, & appellarunt ad futurum, proinde toleratur opinio contraria, quamvis reputetur scandalosa.

Equidem in Præfatione editionis tertiæ Trutinæ mex Antiquesehellianæ ostendi, auctoritatem Pontificis supra Concilium Oecumenicum, ejusque in fidei quæstionibus decernendis infalibilitatem ab ipsis Oecumenicis Conciliis passim fuisse agnitam ab ipso nascentis Ecclesiæ primordio; Et ab ipsis Conventibus Generalibus Galliæ usque ad præsens sæculum fuisse assertam. Quod etiam Eminentissimus de Noailles anno 1711. datis literis ad Clementem XI. testatus est.

Nonnulli Doctores tribuunt Conciliis facultatem condendi leges obligantes Ecclesiam, dependenter tamen a Pontifice, a quo Concilia etiam convocari debent, ut sint legitima. Sed communius, & probabilius docent apud Sal. loc. citat., ipsa Concilia legitime convocata non habere hanc potestatem obligandi Ecclesiam per leges suas, nisi leges a Pontifice confirmantur: Dicit enim D. Th. opusc. 9. cap. 4. *Sancti Patres in Conciliis congregati nihil possunt statuere, nisi interveniente auctoritate Summi Pontificis.*

II. Neque pendet Pontifex in legibus ferendis a consilio Cardinalium, ut communiter Doctores docent contra Andream Siculum Cardinalem, & alios apud Pal.; Potest enim leges ferre etiam ipsis repugnantibus; cum eandem habeat potestatem, ac D. Petrus, qui independenter ab Apostolis poterat leges ferre; Nullibi enim talis dependentia ab Apostolis reperitur: & in cap. *Cuncta* 9. *quæst.*

3. habetur, *Apostolica Sedes sine ulla synodo precedente solvendi, & damnandi habet potestatem.* Verum quidem est, quod non soleat ferre leges graves sine Cardinalium, & Theologorum consensu. Sed hoc non facit ex necessitate, facit ex convenientia, & ut prudenter operetur: Consuetudo autem ista ( præterquamquod nulla est, cum sæpe sine consilio Cardinalium Papa ferat leges ) non potest limitare, & restringere potestatem Pontificis, quæ est de jure Divino; quia consuetudo solam legem humanam potest abrogare, non divinam. Deficiente vero Pontifice, potest Collegium Cardinalium, vel Concilium ea statuere, quæ rectæ gubernationi Ecclesiæ pro illo tempore consona visa fuerint; cum hoc illis naturali jure conveniat, ne Ecclesia omni remedio sit destituta: Non possunt tamen leges ferre perpetuo duraturas, cum nusquam reperitur concessa illis talis facultas.

III. Quæritur secundo, An Episcopi possint pro sua Diœcesi leges condere independenter a Pontifice?

Respondeo, duplicem esse oppositam sententiam apud Sal. sect. 4. Prima tenet cum Vasq., Sor., & aliis, Episcopos immediate a Christo Domino habere potestatem ferendi leges pro Diœcesi illis assignata a Pontifice; quia Actor. 20. habetur, *Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.* Secunda vero probabilior cum Bellarm., Suar., & aliis Recentioribus docet, Episcopos immediate a Papa, & mediate a Christo Domino habere potestatem ferendi leges; unde mediis Apostolis Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei. Ratio hujus opinionis est, quia aliter non posset Papa Episcoporum auctoritatem coarctare, aut tollere; quod non expedit Ecclesiæ Hierarchiæ. Hinc fit, quod in rebus gravioribus, præsertim

in definiendis articulis fidei, in canonizatione alicujus Sancti, non possint Episcopi leges ferre. Nam Innoc. III. in cap. *Majores, de Baptismo* dicit, Majores Ecclesiæ causas, præsertim articulos fidei contingentes, ad Petri sedem referendas esse. Possunt quidem Episcopi in aliquo casu dispensare in jure communi, seu in lege Pontificia, dum Pontifex non potest consuli; sed hinc non sequitur posse condere leges independentes a Papa contrarias juri communi: Et licet possint statuere aliquid contra id, quod Antecessor statuerat, quando illud non est confirmatum a Papa; non possunt tamen, si sit a Papa confirmatum; quia tunc illud censetur a Papa statutum.

IV. Neque dicas, quod *quicquid potest Papa pro tota Ecclesia, potest Episcopus pro sua Diocesi*. Nam quamvis aliqui absolute id asserant apud Suar. par. 3. tom. 4. disp. 55. sect. 2. existimantes Episcopis competere jurisdictionem jure divino; tamen id interpretandum est, quod possint Episcopi pro sua Diocesi dependenter a Pontifice, quicquid potest Papa auctoritate accepta a Christo Domino: Communius tamen negant hoc axioma, ut ostendemus quæst. 7. art. 2.

V. Dubium est, An Episcopi indigeant consensu Cleri vel Capituli ad leges statuendas pro sua Diocesi? Et communiter id negant; quia nullibi reperitur concessa illis potestas sive a Christo, sive a Papa, cum tali dependentia. Solum ex cap. *ult. de Festis* pro festis statuendis requiritur consensus Cleri & Populi; & pro alienandis rebus Ecclesiæ consensus Capituli, ex cap. *Vestra, de Locationibus*.

Quod dictum est de Episcopis, dicitur etiam de Archiepiscopis, ac de Primatibus, seu Patriarchis pro sua Diocesi; Qui tamen ex cap. *Nullus prima quæst. 3.* non possunt condere le-

ges obligantes totam Provinciam, nisi in Provinciali Concilio, & de consensu Episcoporum Comprovincialium: Et in tempore visitationis possunt, ut notant Bonac., & Pal., præcepta imponere subditis Episcoporum suffraganeorum, non tamen leges perpetuo duraturas: Extra visitationem vero non possunt aliquem excommunicare, vel judicare, aut aliquid agere absque Episcopi Diocesani consilio, vel judicio, excepto casu appellationis, juxta sententiam Barbose.

VI. Ex dictis inferitur, quid dicendum de Conciliis particularibus? Hæc dividuntur in Nationalia, Provincialia, & Diocesana; Nationalia habentur cum interventu omnium Episcoporum, & Archiepiscoporum alicujus nationis sub uno Primato, seu Patriarcha; Provincialia cum interventu Episcoporum suffraganeorum sub uno Archiepiscopo; Et Diocesana cum interventu Rectorum Ecclesiarum, Abbatum, & Priorum sub suo Episcopo; Hujusmodi autem Concilium dicitur Synodus Diocesana. Porro omnia isthæc Concilia possunt pro suo Territorio leges ferre; quia si potest Prælatus sine suo Clero ferre leges, a fortiori potest cum suo Clero in iis Conciliis, ex cap. *Placuit 12. quæst. 2.* Non possunt tamen Conciliorum particularium leges totam Ecclesiam obligare, nisi approbentur a Pontifice pro tota Ecclesia.

VII. Notandum tamen, non satis esse, quod aliqua decreta Conciliorum Provincialium reperiantur in Gratiano, ut dicantur ea esse approbata a summo Pontifice pro tota Ecclesia; (quod etiam communiter dicitur de sententiis Sanctorum Patrum, quæ apud Gratian. reperiuntur, nec idcirco habent rationem legis) Ratio est, quia nullus Pontifex approbavit ea omnia, quæ in Decretis Gratiani reperiuntur, ut notat hic Bonac. num.



37.: Quare licet ea magnam auctoritatem habeant, quia Gratiano creditur, tanquam in arte perito; at potuit hic decipi in referendis auctoribus, & decretis; Unde consulenda sunt Originalia a Gratiano citata, ut videatur, an id habeat rationem legis a Pontificibus lata.

VIII. Queritur tertio, An Cardinales, & Congregationes Cardinalium possint ferre leges?

Respondeo, Cardinales ex vi sui tituli, & dignitatis posse leges ferre obligantes Ecclesiam suam, non secus ac potest Episcopus; cum ibi habeant jurisdictionem. Et idem dicas de Prælati exemptis, & Abbatibus habentibus Episcopalem, vel quasi Episcopalem jurisdictionem; (quatenus jure ordinario possunt excommunicare, suspendere, interdicere, & similia facere) nisi eis sit prohibitum, aut nisi ex consuetudine requiratur consensus Cleri, vel Capituli; Nam, ut notat Suar., hæc potestas legislativa est jurisdictionis, non consecrationis. Legatus Pontificis potest leges ferre, quæ suam Provinciam non solum tempore legationis, sed etiam eo finito obligent, donec a Pontifice, vel Legato successore revocentur, ex *cap. ultim. de Officio Legati*.

An autem declarationes Congregationum Cardinalium habeant vim legis? Aliqui affirmant cum Rodriq. apud Merol. disp. 4. cap. 4. dub. 12., quia fiunt auctoritate accepta a Papa: Sicut quando Generalis alicujus Religionis habet a Papa auctoritatem interpretandi dubia circa proprias constitutiones, talis interpretatio habet vim legis. Alii cum Sanch. lib. 8. disp. 2. apud Dian. part. 1. tract. 10. resol. 2. probabilius negant; quia non sunt promulgatæ; unde censentur interpretationes doctrinales potius, quam judiciales, & auctoritative. Quando autem consulto Summo Pontifice fiunt,

& jubet Pontifex promulgari, & servari, censeo cum eodem Dian. part. 11. tract. 2. resol. 42. tunc habere vim legis.

IX. Queritur quarto, An Capitulum, Sede vacante, possit condere leges totam Diocesim obligantes?

Respondeo, aliquos apud Meroll. disp. 4. cap. 4. negare, quia solum ei conceditur administratio rerum temporalium, & spiritualium pro tempore Sedis vacantis. Quare sicut Collegium Cardinalium non potest condere leges Sede vacante, ita nec Capitulum: Et ideo nec potest leges Episcopi mortui abrogare, nec præbendas conferre, ex *cap. Ne Sede vacante*. Probabilius tamen Laym., Pal., Suar., Bonac. concedunt; quia ex Trident. sess. 24. cap. 16. ei competit administratio rerum spiritualium, quæ sine jurisdictione esse non potest; ergo illam jurisdictionem habet, quam habebat Episcopus, cum non sit ratio, cur debeat limitari; atque adeo habet potestatem legislativam; Adde, quod de facto omnia exercet, quæ sunt propria Episcopi, nisi sit ei specialiter prohibitum: Verbi gratia, dispensat in irregularitatibus, in denunciationibus Matrimonii, in interstitiis, in illegitimitate ad Ordines, & ad beneficium simplex, &c. Non potest tamen præbendas Episcopales conferre; quia id specialiter prohibetur in *cap. Cum olim*: Quare potest etiam leges novas condere, & leges Prædecessoris abrogare; cum id illi non prohibeatur.

Ad rationes in contrarium: Sicut Legatus Papæ habet jurisdictionem quousque est Legatus, & tamen potest leges condere, quæ etiam post legationem perseverent, quousque revocentur; ita Capitulum habet jurisdictionem solum pro tempore Sedis vacantis, & tamen potest leges condere, quæ obligent, quousque ab Epi-

piscopo successore revocentur. Nec est eadem ratio de Collegio Cardinalium Sede vacante; quia illi non solum non est concessa jure humano potestas legislativa, sed potius est denegata in Clementina *Ne Romani, de Election.*; jure autem divino solum Pontifici competit, ut diximus, potestas legislativa per totum Orbem.

Dubium est, an saltem Capitulum vivente Episcopo possit aliquas leges ferre absque consensu Episcopi, quæ obligent ipsos Legislatores?

Respondeo, plures negare; quia Episcopus est caput Capituli; sine capite autem corpus non est integrum, nec potest se regere, & gubernare; & ideo expositulatur a Canonicis juramentum de servandis statutis Capituli, quia non obligantur ab iis tanquam a legibus, sed sunt solum quædam regulæ, & directiones. Communiter tamen docent, posse absque Episcopi consensu leges, & statuta ferre obligantia ipsos Capitulares in iis, quæ pertinent ad rectam gubernationem Ecclesiæ. Ratio est, quia sine Episcopo in iis procedunt; ergo signum est, quod habeant ad id jurisdictionem; nam gubernatio sine vi coactiva, & præceptiva haberi rite non potest: Quamvis in rebus gravioribus, verbi gratia, in abrogatione alicujus constitutionis, in alienatione, aut venditione alicujus fundi, necessarius sit consensus Episcopi, & aliquando etiam Pontificis, ex *cap. Cum accessisset, de Constitution.* Neque obstant rationes adductæ, quia in Capitulo habetur suum Caput immediatum, scilicet Decanus; Et juramentum exigitur, tum ut magis obligentur, tum ad tollendum, ne quis utatur opinione opposita; quæ suam habet probabilitatem.

Eandem doctrinam extendunt Sal., Panorm., Sylv. contra Suar., & Bonac. ad Collegiatas Universitates, &

Societates, ac Collegia propter eadem rationes.

X. Quæritur demum, an Superiores Religiosorum, & Abbatissæ possint ferre leges?

Respondeo, certum esse, in unaquaque Religione dari a Pontifice facultatem, ut leges, & constitutiones condantur. Utrum autem talis potestas legislativa sit in solo Generali, vel Provincialibus? Spectanda sunt jura cujuscumque Religionis. Pleraque habent solum facultatem ferendi leges in Capitulis generalibus pro tota Religione, & in Provincialibus pro tota Provincia, concurrente majori parte suffragiorum. Illud certum est, quod Prælati Religionum non possunt præcipere subditis suis, nisi quæ vel in Regula continentur, vel ad Regulæ observationem accommodata sunt; quia isti votum obedientiæ emiserunt relate ad Regulam Religionis, quam amplexi sunt: Quare non possunt Superiores ad arctiorem regulam illos adstringere, nec poenam novam injungere, si non expediat, ut ipsi, vel alii ad propriæ Regulæ observantiam excitentur: Verbi gratia, si Regula universim non obligat ad peccatum, non potest Superior velle, quod omnes Regulæ ad peccatum obligent. Notat tamen Sylvester, quod si aliquo modo aliquid conferat ad Regulam, possit præcipi; ut de facto præcepta fuit Monialibus Clausura in *cap. unico de Statu Regularium*, & a Trident. sess. 15. cap. 5. Etenim ad custodiam castitatis, quam professæ erant Moniales, expediens visum fuit superaddere obligationem clausuræ. Unde temeraria visa fuit nonnullorum opinio, putantium non potuisse Pontificem præcipere Monialibus clausuram, quam non erant professæ.

Abbatissis vero certum est concessam esse potestatem præcipiendi, non

non solum ex voto obedientiæ emisso a monialibus, sed etiam ex jurisdictione domestica dominativa simili illi, quam habet Materfamilias: Ea autem oritur ex eo, quod Moniales dant Abbatissæ hanc jurisdictionem in se ipsas, dum tradunt se illi, ut gubernentur, & puniantur, nisi obedientiam præstiterint: Potest enim quilibet alteri se subicere, dando illi jus jurisdictionis in se ipsum, ut in bonum sui gubernetur; sicut potest alteri se in servum tradere, dando illi jus proprietatis, ut gubernetur in bonum Domini.

Dubium tamen est, An præter istam jurisdictionem domesticam habeant Abbatissæ etiam jurisdictionem Ecclesiasticam, seu spirituales illis collatam a Pontifice, itaut possint ferre non solum leges, quæ pertineant ad domus rectam gubernationem, & ad communem Monasterii pacem, sed etiam leges spirituales, sicut possunt Prælati Regulares? Nonnulli apud Sal. putant, Abbatissas habere etiam a Pontifice suam jurisdictionem; docent enim, fœminas non esse omnino incapaces jurisdictionis spiritualis, itaut iis delegari non possit a Pontifice potestas ferendi leges Ecclesiasticas. Quamvis enim Apost. 1. ad Corinth. 14. dicat: *Mulieres in Ecclesia taceant; turpe enim est, mulieres loqui in Ecclesiis*; id tamen intelligendum, quod non debeant publice concionari, aut excommunicare, &c., non vero ferre leges, quas ex consilio Episcopi, & prudentium possent sapienter condere: Præsertim quia quamvis turpe sit eas concionari ex officio, non tamen ex speciali dispensatione Papæ, quando debita scientia, & probitate sint præditæ; Nam D. Catharinæ injunctum fuit a Pontifice non raro, ut apud ipsum Pontificem, & Cardinalium cœtum concionaretur; ergo a fortiori leges

Pars I,

ferre possunt, saltem ex speciali Papæ delegatione.

Sed communior sententia docet, quod licet non sint de jure divino fœminæ incapaces jurisdictionis spiritualis, unde possit Pontifex committere Abbatissæ, ut leges spirituales imponat, & censuras ferat, quia Pontifex potest in jure communi dispensare; de facto tamen, jure saltem Ecclesiastico, sint incapaces jurisdictionis spiritualis, ut constat tum ex cap. *Nova*, de *Pœnit.*, & *Remis.*, tum ex Ecclesiæ usu; non enim deicit sexui fœmineo, ut plurimum prudentia destituta, hanc potestatem ab Ecclesia communicari, cum satis sit, quod possint præcipere, & corripere, quantum conveniens est ad paternum, & domesticum regimen.

Hinc inferitur primo, posse Abbatissam imponere præcepta solum temporalia, seu ordinata ad bonum temporale, & tranquillam domus gubernationem; verbi gratia, ne Moniales literas recipiant, ne cum externis loquantur, ne ad hortum descendant, ita ut horum præceptorum transgressio sit mortalis, si ea plurimum ad communem pacem, & bonum exemplum conducant; sit vero venialis, si parum ad id conducant; Sicut Materfamilias potest similia præcepta imponere; quamvis in Religione Abbatissæ habeant majorem vim obligandi; At non habet Abbatissa potestatem imponendi præcepta spiritualia, hoc est ordinata ad finem spirituales, seu ad progressum in virtutibus, & ad perfectam Regulæ observantiam.

Inferitur secundo, non posse Abbatissam præcipere in virtute sanctæ Obedientiæ, vel Spiritus Sancti; & si ita præcipiat, significare vult, quod præcipiat tota auctoritate, qua pollet, non secus ac Materfamilias; Unde fit, quod materia, quæ est gravis re-

F

late

late ad præceptum Prælati præcipientis in virtute Sanctæ Obedientiæ, (ut omissio, verbi gratia, unius Missæ, jejunii, &c.) non semper sit gravis relate ad præceptum Abbatis; quia finis Prælati est spiritualis profectus, ad quem valde conducit una missa, &c., finis Abbatis est bonum regimen domus, ad quod non multum nocet, si uno die omittatur auditio Sacri.

Neque dicas, Moniales emittere votum obedientiæ relate ad Abbatissam; ergo Abbatissa potest præcipere in virtute Sanctæ Obedientiæ, & graviter obligare.

Nam respondent Rodriq., & Sanchez lib. 6. cap. 1. num. 17., votum obediendi alteri semper intelligi, pro ut moris est obtemperare; unde si fiat Laico, solum ex vi voti habetur obligatio ponendi ea, quæ Laicus præcipere potest; & quia Laicus non potest imponere præcepta spiritualia, seu ordinata ad finem spiritualem, hinc non est reus voti, qui transgreditur hujusmodi præceptum latum a Laico: Idem dicas de Abbatissa, cui Moniales vovent obedire juxta potestatem, cujus est capax, quæ est instar potestatis domesticæ.

## Q U Æ S T I O III.

### De Subjecto Legum, seu de iis, qui Legibus obligantur.

**S**ubjectum legis est homo subditus capax rationis, ut communiter Doctores docent. Inquirendum tamen est primo de ipso Legislatore, an teneatur suis legibus obedire? Secundo de Infidelibus, de Pueris, Ebriis, & Amentibus. Tertio de Peregrinis, de Forensibus, de Vagis. Quarto de subditis residentibus extra Territorium. Ultimo de Clericis, an legibus civilibus teneantur?

#### ARTICULUS I.

An Legislator suis legibus teneatur?

- I. Legislator suis legibus obligatur quoad vim directivam, non quoad coactivam.
- II. Obligatur autem Legislator directe non a lege sua, sed a lege naturali dicente, quod Caput cum suis membris conformetur.
- III. Potest autem secummet ex causa dispensare, non secus ac cum subditis.
- IV. Quonam pacto Legislator teneatur legibus contractuum, & iis, quæ taxam mercibus imponunt?

V. Num peccet mortaliter Legislator transgrediendo suas leges in re gravi, an solum venialiter?

VI. Cur venialiter dumtaxat peccent Moniales omittendo unam missam præceptam in virtute Sanctæ obedientiæ ab Abbatissa?

VII. Cur sacrilege peccaret Pontifex, si secummet dispensaret ad ducendam uxorem?

VIII. Legislator transgrediendo leges suas, quamvis peccet, non incurrit tamen penas latas adversus transgressores.

IX. Nec Princeps supremus, nec Legatus Pontificis tenentur legibus municipalibus loci, quæ non sint ab iis confirmata.

i. Du-